BENEDICTUS REGUARDATUS DE NURSIA · DE BALNEIS PUTEOLANIS · CINCIUS ROMANUS
Siena (?), 8. Jahrzehnt 15. Jh. /vor 1478 Seite 96r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8184
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Signa vicinitatis aquarum.

Blondus Flavius Forliviensis in opere suo Rome
instaurate prenotato inter aque ductus
infrascripta verba ponit.

Extat epistola Theodorici ostrogothorum Regis
ad Romanos. qui cum Romane rei preesset
scripsit ad eos maxime hortatus, ut Aquile-
gum quendam aquarum reperiendarum artificem:
qui ad urbem ex affrica venerat: primo de-
tinerent. Signa enim vicinitatis aquarum
hic memoravit. Virentes herbas, et ar-
borum proceritatem. sed ubi presertim iuncus
aquaticus, validus rubus, salex lenta,
populus virens, et eiusmodi arbores: quas
terrenus humor maxime alit. Si preterea
nocte adveniente lana sicca in terram
posita, mane reperietur humida: aque
proximitas arriserit. Sole insuper incli-
nato, ubi super terram spissitudo minutissimarum
muscarum volitare aspexeris: tunc in facile
aqua invenietur. Et item si videris in
columne specie tenuissimum quendam fumum,
tam ex imo propinqui latices erunt, quam colum-
ne altitudo apparebit. ¶ Aque vero: que ad
orientem, austrumque prorumpunt, dulces et pro
levitate sua saluberrime affirmantur. Que
autem in septentrionem, occidentemque emanant,

Signa v.